



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvta, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

208. feria 6. de Invidia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

ve aggredieris, prius cogita, quæcunque ad-
versa possunt accidere, & ea apud temetipsum
æquanimiter passurum constitue. 10. Non
obliviscaris, si multa toleras, non pauca esse,
quæ alij in tua conversatione sustineant.
11. Causas iræ amputa geminas, concupi-
scentiam rerum terrenarum, & opinionum,
sensuumque diversitatem. 12. Nec injustis,
nec justis ex causis adversus proximos ira-
scendum; quia ira, ex quacunque causa sit,
intellectum obscurat, consilium obnubilat,
honestatem turpat, & mentis puritatem con-
taminat. *In potestate posuit nostra Deus, qua-
liter in die iudicii iudicemur. Dimittite, & di-
mittetur vobis.* Augusti serm. 102. Temp.

Conf. 3. Indicia prostratæ iræ sunt actus
contrarij iræ, puncto 10. explicati. Statuam
ad remissionem meorum peccatorum in-
jurias, & contumelias patienter sustinere,
eas tanquam à Domino suscipere, nullum
signum impatientiæ exterius nec verbo,
nec opere prodere. Pulchritudinem man-
suetudinis agnoscere, & eam præstare po-
stulabo.

MEDITATIO CCVIII.

Feria 6. Domin. 5. post Pentecost.

De Invidia.

Q 6

Aspiciam

372 *Feria 6. Domin. 5. post Pentecost.*

Aspiciam inferni furiam seipsam rodentem, invidiam, quâ ipsi mali spiritus torquentur. Petam illud vitium intelligere, & evitare.

Conf. 1. Invidiam esse tristitiam de alienis bonis, seu odium felicitatis alienæ, quo aversamur aliena bona, quia in ijs nos superat, qui à nemine cupimus in bonis superari, prohibitam ab Apostolo ad Galat. 5. *Nec efficiamini invicem invidentes.* Gradus invidiæ 1. est, ex bonis alterius tristari, & quia illi data sunt, irasci, in quo gradu fuit Cain, Gen. 4. 2. De malis aliorum latari, quorum invidiâ quis tãgitur. 3. Bona aliena præterire, & silentio contegere, & si quid imperfectum, aut quod speciem mali habeat, interpretari malè, & ut opinio elevetur, non sine exaggeratione patefacere. 4. Manifestam virtutem suorum proximorum calumniari, & eam pro vitio haberi velle. 5. Justorum bona opera, & labores, quibus ipsi invidi flagellantur, impedire, & quæ ipsi invidi, aut nolunt, aut non possunt facere, ne ab alijs, qui laborare volunt, & possunt, perficiantur, adniti; impediuntur autem detractionibus, falsis testimonijs, imò & proprijs laboribus, quos nullo modo susciperent, nisi ut strenuè laborantes impedirent ad Philip. 1. vers. 17.

Conf. 29

Fer. 6. Domin. 3. post Pentecost. 373

Conf. 2. Remedia contra hoc vitium pene insanabile. 1. Agnoscere mala invidiæ, quæ soli invido nocent, alteri, cui invidetur, nihil nocent. 2. Si proximus bona amitteret, non propterea fierent ipsius invidentis. 3. Non putare se bono zelo facere, cum proximorum bona elevamus. 4. Cogitandum nihil magnum esse, nihil excellens ex ijs, quæ mundus admiratur: solam virtutem esse æstimabilem, quam mihi nemo invito tollet.

5. Excitandum perfectionis desiderium, amorque æternæ patriæ, qui amorem terrenarum rerum expellat. 6. Reluctandum eidem vitio interiùs, & exterius: interiùs quidem motum invidiæ gaudio de bono proximi turbando: exterius verò bona manifesta proximi laudando, mala tacendo, dubia in bonam partem interpretando, opere pios conatus proximi adjuvando.

Conf. 3. Indicia extinctæ invidiæ esse: 1. Si de alienis bonis non doleam. 2. Gaudeam ex animo. 3. Gratuler, & auscultem. 4. Prædicem. 5. Adversa proximi ægrè feram. 6. Defectus ab eorum oculis, qui emendare nequeunt, abscondam. 7. Si sola æterna, & semper duratura concupiscam. Accusabo me de lapsibus, odio habendo invidiam, ex qua secundùm hominem nullum bonum accipio, mortem animæ incurro, corpus macie

374 *Sabb. Domin. 5. post Pentecost.*

macie vexo. Pugnabo contra eandem modis supradictis. Postulabo perfectam charitatem, quâ proximum propter Deum diligam.

MEDITATIO CCIX.

Sabbato Domin. 5. post Pentecost.

B Virgo Refugium contra vitia.

A Spiciam Divam à vitijis hâc septimanâ consideratis, omnibusque alijs alienissimam. Petam ejus auxilio ab iisdem liberari.

Conf. 1. Quomodo vitium quintuplex gulæ, luxuriæ, avaritiæ, iræ, invidiæ, foedum, & deforme rationi contrarium, defectus voluntarius à perfectione hominis, à lege æterna præscripta, & pulchra regula, à Deo ad acquirendum summum bonum inventa, & data, vel absolutè prohibeat, vel impediatur? adeoque à B. Virgine ex toto abfuerit, quæ nunquam ab amore Dei summi boni deviauit: partim propter agnitionem summi boni, partim quia fomite caruit.

Conf. 2. Quomodo dicta vitia splendorem, & imaginem gratiæ in me infecerint, amicitiam Dei fecerint refrigerare, Deum disgustarint, animam debilitarint, Dei affectum à me alienaverint, ad mortem disposerint, & quis scit, an non mortem attulerint.

Conf. 3. Renovabo proposita totius septimanæ,